



Dilecto filio  
Augustino Trapè  
Ordinis Fratrum S. Augustini  
Priori Generali

Paulus P. VI

Ordo Fratrum Sancti Augustini, cui tu, dilecte fili, sollerter praeesse cognosceris, in urbe Philadelphia, intra fines Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum, mox, ut ad Nos est allatum, Capitulum Generale celebrabit. Quod quanti momenti sit futurum, facile intellegitur, siquidem id agetur, ut secundum normas et praescriptiones Concilii Oecumenici Vaticani Secundi Familia ista Augustiniana collatis consiliis ad interiorem nitatur renovationem, apostolicam operositatem novo quodam ardore exsequendam perpendat, ad mutatas temporum condiciones et necessitates leges vitamque suam accommodet. Primum vero caput, quemadmodum notum est, principem

obtinere locum, cum solum vera sanctificatio unius-  
cuiusque sodalis ac totius simul Communitatis ef-  
ficiat, ut Ordo vester finem sibi propositum con-  
sequatur et munus in Ecclesia sibi mandatum  
obeat in huius aedificationem hominumque salu-  
tem. Praeterea haud leve negotium res vestras re-  
cognoscendi, emendandi, ad huius aetatis rationes  
dirigendi ex illa sanctificatione vim et efficacita-  
tem hauriat oportet.

Laudabili quidem studio haec Ordinis vestri  
generalia comitia sunt praeparata; in quibus  
etiam, vestra annitente diligentia, ea in clariore  
luce ponentur, quae eidem Familiaee sunt propria  
et peculiaria atque primaria habenda, id est Au-  
gustinianitas, quam dicitis et ex qua firmo illo  
inniti vos decet fundamento religiosae conversa-  
tionis, quam Sanctus Augustinus, in Africam re-  
versus, Tagaste instituit; deinde Fraternitas eo  
pertinens, ut caritas, "dulce ac salubre vinculum  
mentium" (S. Aug., Serm. 350; 3; P. L. 39, 1534), cunc-  
ta Ordinis membra consociet, ut aequalitas di-  
scrimina et pericula concordiae impendentia au-  
ferat, ut universi sodales quasi conglutinatis vo-  
luntatibus ac tamquam "cor unum et anima una",  
quemadmodum in Regula monentur, Deum quae-

rant et ministeria perficiant in populi fidelis utilitatem. Haec profecto animo Hipponensis Episcopi, cuius vos alumnos appellatis, videntur esse obversata, cum Ecclesiam sic est affatus: "Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arc-tiore quam sanguinis nectis" (De mor. Eccl. Cath. I, 30, 63; Q. L. 32, 1336).

Haec igitur caritate, quae "diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis" (Rom. 5, 5), totus Ordo et singulae eius partes compaginantur et in unitatem coalescunt, ita ut "unum hominem faciant" (S. Aug. Enarr. in ps. 132, 6; Q. L. 37, 1733). Quo Spiritu corpus Familiae vestrae vegetante, ea sit etiam oportet signum unitatis Ecclesiae eiusque veluti fermentum.

Curae vestrae eo quoque intendentur, ut vita contemplativa et activa apto fecundoque nexu inter se componantur, ita docente Sancto Augustino: "otium sanctum quaerit caritas veritatis: negotium iustum suscipit necessitas caritatis" (De Civ. Dei, 19, 19; Q. L. 41, 647). Nolite ergo nimio illo exterius agendi rari fervore, quo vita spiri-tualis enervetur et communiter vivendi societas detrimenta patiatur. Apostolatus autem, qui, licet singulis commissus, totius Communitatis putandus est onus et munus, exemplis Sancti Augustini, Pastoris optimi, fulciatur, qui ait: "non potestis ostendere quantum ametis Deum, nisi

quantum apparueritis amare lucra Dei" (Serm. 296, 10, 11; Q. L. 38, 1358).

Sic viventes demonstrabitur vos Ordinis vestri tenere institutum, ex quo Matri Ecclesiae singulari ratione estis devoti. Fidelitas vestra erga hanc Matrem, maxime erga Petri Sedem, his temporibus exsplendescat lateque colluceat.

Omnium denique bonorum Largitorem Deum rogantes, ut ad hoc Capitulum Generale congregatis propitius adsit et ut ex eodem Ordini isti et Ecclesiae spiritualium virium incrementa obveniant, tibi, dilecte fili, cunctisque sodalibus, tuae curae et moderationi commissis, Benedictionem Apostolicam paterna caritate impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Augusti, anno MCMLXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

Paulus P. P. VI.